



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 2. Carolus II Siciliae Rex coronatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

ius sacellum interdictum erit. Post duos ^{Sæcul.XIII.} menses & alteram monitionem interdictum se extendet in loca omnia, ubi Rex ^{A C. 1289.} aget. Quatuor post mensibus incidet in anathema. Tum ei intentatur interdictum generale per totum regnum, & subditorum absolutio a juramento fidelitatis.

§. II.

Carolus II Siciliae Rex coronatur.

Papa tunc Romæ versabatur, unde in urbem Reate profectus ibi celebrabat diem Pentecostes, qui erat vicessimus nonus Maji. Hoc ipso die solenniter coronavit novum Siciliae Regem Carolum ^{Rayn. 1289.} II, qui e suo dimissus carcere per Franciam in Italiam redierat. Post impostam sibi coronam suam ob regnum Papæ addicti clientis fidem ac obsequium profitebatur iisdem conditionibus, quibus Rex pater ejus id egerat: ut apparet ex ejus litteris 19 Junii scriptis, & ex acceptione Papæ. Is tunc novo Regi multiplicem præstabat gratiam. Concessit enim decimas ad triennium Siciliae recuperandæ causa. Infirmavit ^{Rayn. n. 13.} pactum cum Alphonso Arragonum Rege factam, Carolum ac Eduardum Angliæ Regem declarans liberos a juramen-

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

n. 15.

tis, quibus illam confirmassent, tanquam per vim ac metum extortis, & contra bonos mores pugnantibus. Sacro fulmine perculit Regem Alphonsum, Jacobumque fratrem ejus, possessorem Siciliae. Denique Regem Carolum gemmis & numerata pecunia large donatum remisit, eique Legatum pro Sicilia dedit Cardinalem Berardum Episcopum Prænestinum.

§. III.

*Raymundus Fratrum Minorum
Minister Generalis.*

Sup. l. 88.

Matthæus Aquaspartanus Minister Fratrum Minorum Generalis anno præterito sacra ornatus purpura, in eisdem Pentecostes ferias Assisium generalia convocavit comitia, in quibus regimen Ordinis sui deponeret. Sed Papa Nicolaus illa Reate coram se ineunte Junio haberi voluit. Erant itaque celeberrima; quippe quæ Papa duoque Cardinales eodem, ut ipse, evocati Ordine, scilicet Bentivenga Episcopus Albanensis, ac summus expiationum Præfectus, & Matthæus Aquaspartanus Presbyter de S. Laurentio, insuper Rex Siciliae Carolus II, & Maria Hungarica conjux ejus sua honorabant præsentia. Ibi in tertium decimum Ordinis Ministrum Generalem una